DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

HÆMORRHAGIARUM STATU PRÆTERNATURALI,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXXV. D. SEPTEMBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUTHOR RESPONDENS

JOH. LUDOLPHUS BÜNEMANN,

MINDENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PRÆFATIO.

SAnguis proximum vitæ est adminiculum, ſine quo homo ſubſiſtere nequit, num vero ipſe ſanguis ad integram corporis ſtructuram ſatisfaciat, vel ex ipſo ſanguine corpus ſtruatur, & an rubra ſanguinis portio etiam nutrire poſſit, quæſtio altioris indagationis eſt. In hoc argumento loquor de ſanguine tamquam alimentoſæ ſubſtantiæ vehiculo. Cum vero ſanguis ſub nutritionis proceſſu varie etiam immutetur, nutrientia prius ex parte ad ipſius ſanguinis præparationem conferre debent. Niſi ſanguis vegete ſatis ad partes vehatur ut calore naturali mediante partibus alendis lympham nutritivam apponat, retinet potius lympham ideoque maſſa ſua augetur, ut hinc homines macilenti & ſicci maneant. Interea haud paucis e medicorum claſſe placuit ſanguinem multis encomiis efferre ut alii

eum Thesaurum vitalem, alii balsamum vitæ esse judicent. Optimus sanguis interdum naturæ inimicus esse potest, nocet nimius, nocet etiam paucus: ipse condimento utitur ne mox spissescat sive in contrariam corpori summe hostilem atque noxiam qualitatem mutetur. Quando natura semel sanguinem male perfert, ac si in corpore pericula parare minaretur, sæpe fit, ut adeo in motum ruat, ut omnem ferme sanguinem tumultuarie exterminare contendat: Exempla habemus hoc phænomenon illustrantia, si post congruam Venæsectionem, in imminutionis præcipue finem institutam, motus, dolores, & morbus augentur, quod non quidem ex utili proveniat venæsectione, nec semper ex sanguinis intemperie, sed ex aliis intercurrentibus impedimentis. In plurimis sanguinis imminutio per quotidianam insensibilem, transpirationem contingit, quæ in aliis tardius, in aliis citius procedit. In ægrotis autem hæc interdum plane deest. Hic modus imminuendi sanguinem est naturæ aptissimus; sanguis itaque in hoc negotio sensim sensimque omni circumspectione adhibita in sanis hominibus resolvitur, atque sic a connubio vel quod principia in sanguine sibi contraria nec coire nec corpus destruere possint, præmunitur. Corpus in hunc finem ubique est porosum, quo nullibi exitus sero halituoso ac maxime infenso præcluditur. Si ergo tali modo corpus diligentissime purgatur, reliquæ etiam functiones non impedite sed commode & summa alacritate perficici possunt. Si autem sanguis hac purgatione & libera actione est

desti-

destitutus,facile periculosam conjunctionem,aut præjudiciosam qualitatem init; quo interdum miasmata ex aere contribuunt, hinc tempore pestis fæminæ istud prius excipiunt ac mares,homines sedentarii ac laboriosi,divites ac pauperes. Longe vero inter se differt circulatio sanguinis tempore æstivo ac tempore hiemali.Non puto quod illo celerior,hoc vero tardior esse soleat. Si enim labor accedit, sanguis in hieme æque attenuari potest; solis quidem æstus confert sic dictum æthereum principium, quod cum cibo & potu, ut & sub inspiratione æque communicatur; Et hoc principium sanguinis mixtionem indies invertere minatur, unde ex parte febres acutæ imo mors ortum ducere possunt: Quid quod transpirationis alteratio tempore æstivo multo periculosior ac in hieme existit, qua tamen transpiratio mox ad est, mox deficit, mox insigniter augetur, modo reprimitur & inhibetur, ex quo in multis non aliud sentitur, quam ut crebram tantum modo caloris & frigoris mutationem sine ulteriori sanitatis detrimento percipiant. Sed quid dicam de sanguinis inminutione, quæ fit sub somno in lecto, hæc aliquatenus diversa est, siquidem aliquo modo humores quidem resolvuntur, sudor tamen magis largus est, ita ut humores quandoque laudabiles, cum illaudabilibus & pravis simul exeant. Maxime autem reficit laboriosos, qui post auctiorem fibrarum tensionem & usum ista relaxatione egent. Sic his quoque aliquatenus conducit, ut noctu temperata aura fruentes dormiant, ac plethoricis quidem ; ne nimium humoribus necessariis orbentur, sic

laborioſi ſubinde facilius levantur ſomno. Labor moderatus firmat corpus, ſomnus nimius illud magis hebetat. Ex ſomno magis humores ſpiſſeſcunt; labor ipſis conciliat majorem tenuitatem. Reſtat nunc quæſtio an deficiens an vero nimius ſanguis maxime noceat. Sint nobis exemplo Vulnerati, hi teſtantur quam multo ſanguine homo carere poſſit, ſic etiam libri practicorum pleni ſunt iſtorum exemplorum, hoc etiam quotidiana experientia confirmat, quam multo ſanguine ſæpius ægrotantes orbentur priusquam animam mittere cogantur. Idem hoc obſervamus in iis,quibus ex animi pathemate hæmorrhagiæ conſuetæ nimium augentur, quibus non licet in primo impetu hunc exceſſum refrenare ac inhibere. Porro hic notandum quod natura diu ipſum ſanguinem aliquando ejicere fluctuet,niſi notabilis occaſio quædam impellens præcedat & concurrat, quod per plurimas & conſuetas magis hæmorrhagiarum ſpecies demonſtrare poſſum. Ipſe modus excernendi ſanguinem aut eſt juſtus, aut excedens aut deficiens aut turbulentus. Mirandum ſane, quod natura etiam ſub erronea operatione, nihilominus pro motibus vitalibus aliqualem proportionem ſervare ſoleat; poſt lapſum quidem primorum hominum ex ſingulari dei gratia tantum boni in actionibus vitalibus eadem retinuit, ut res ſuas œconomicas internas bene ſæpe adminiſtret, quis hoc non agnoſcat? quis plane neget, quod multi morbi ad bonum contendant finem, eumque feliciſſime interdum ſine medico auxilio impetrent? Dum vero mens humana errare incipit,

cipit, etiam non ſine vehementi corporis alteratione & perturbatione errat, ut ex uno plures errores oriantur, ubi interdum bona adeſt deſtinatio, imo ex erroribus interdum oritur conſuetudo ac ſi naturæ lex data ſit; quo etiam morbi hæreditarii pertinent, in quibus non nuda partium diſpoſitio ſufficit. Paradoxon eſt, quomodo ſanguinis imminutio vel facta per laborem, vel per hæmorrhagias, novum humorum augmentum invitet. Hoc melius obſervarent, inprimis ratione Venæſectionis, Chirurgi, ut tardius & cautius ad hoc medicationis genus confugiant. Quamquam enim hoc bonum adminiculum ſæpius mala ægrotantium auferat, ſic ipſis econtra etiam ad nova procuranda ac introducenda occaſionem præbere admodum validum eſt. Et porro quis Chirurgum docuit, ut tam accurate, quam natura, & quantum ſanguinis evacuandum ſit, ſcire poſſit, nonne potius pro arbitrio modo multum, modo parum evacuat. Sic etiam ex magiſtri inſtructione non habet, quomodo ægrotantium circumſtantias applicare debeat, ſed excipies ſunt medici? reſpondeo autem nimis moleſtum multis foret in omni Venæſectione medici conſilium adhibere. Sic etiam bonum eſſet ſi actiones mere mechanice interdum fuerint, ſic non ita limitatus eſſet Medicus, nec quoque neceſſe eſſet blandimentis quaſi, modo ſic, modo alio modo curationem ſuam dirigere. Paradoxon quoque eſt cur ſanguinis motus poſt convenientem Venæſectionem ſæpe augeantur, ſed cur hoc? nonne cauſſa ſublata? unde hic effectus? cur non ſanguis nunc bonus libere circulatur?

tur? nonne hoc phœnomenon medicum interdum dubium reddit, ut de ſua certitudine deſperet? abſit hoc! ſufficit ſi Medicus fecit quæ debuit, in aliis hoc phœnomenon eſt lapis lydius, aliquando etiam offenſionis, in aliis vero experientiæ ſignum. Et quid hoc ſibi vult quando ob ſanguinis copiam Febris acuta oritur? ſub quo homo cibis diu caret; hoc tamen non obſtante quoque per unum dierum ſeptenarium multum de humoribus amiſit; cur autem non acquieſcit febris, cur huic ſeptenario unus vel alter ſeptenaris additur? ais forſan adhuc critica evacuatio defuit? verum enim vero nec plane ante diem criticum languet reſolutio & humorum evacuatio, pori tam arcte non ſunt occluſi, ut exinde ſerum reſolutum inſenſibiliter exire nequeat, ſic quoque hoc ſatis apparet ex magna vaſorum exinanitione, ſic etiam pinguedo intra aliquod dierum ſpatium iam evaneſcit. Si hæc febris orta ſit ex hæmorrhagiæ cujusdam conſecutæ oppreſſione, ſæpius manifeſto ſi in die critico e. g. ſanguis e naribus exſtillat, ſymptomata tunc remittunt & febris miteſcit ut ad priſtinam ſanitatem homo redeat. Præcipuum quod demonſtrare annitor, eſt, quod cauſſa hæmorrhagiarum vehemens ſit, ſic etiam quod hæmorrhagiæ, quæ non ſubito oppresſæ, non adeo noceant, quodque facilius ſit ægrotantibus quam Medico ulteriorem exceſſum hæmorrhagiarum præcavere; ſermo autem mihi præcipue in huc tractatione de iis magis eſt, hæmorrhagiis, quæ Spontaneo ſuo de curſu, præter naturales tamen ſunt: Adſit itaque divinum numen conatibus meis ut feliciter hæc in ægrotantium utilitatem explicare poſſim.

De

§. I.

SAnguinis Tractatio eſt diffuſiſſima, omni enim morborum generi fere inmiſcetur, ſi morbus interdum longe remotus eſſe videatur a ſanguinis cauſſa, tamen prudens medicus ſemper in hujus conſtitutionem obſervationes ſuas dirigere & ex his concluſiones ſuas formare debet: quoniam vero ſincerus & bonus ſanguis noxius fieri poteſt, ita exordior prius principaliſſimas hæmorrhagias deſcribere, quæ in genere a Medicis dividi ſolent in naturales & præternaturales, priores maxime fieri dicuntur ſive ex capite, ſive ex pectore ſive ex abdomine, quarum cauſſa proxima motus tonicus auctior eſt, quo antea ſive vera ſive apparens, plethora anſam præbuit.

§. II.

Sola ac nuda hujus vel illius partis oppletio non efficit hæmorrhagiam; nec acrimoniam ſanguinis pro principe cauſſa agnoſco; Vaſa capitis ſæpius in Cephalalgia ita turgent ac inflata ſunt, ut mirabile ſit cur non ſubtiliora illorum diſrumpant atque in cerebrum extravaſatio ſanguinis fiat. Pulmones quoque non raro ſub motibus congeſtoriis tanta Sanguinis portio intrat, cui tenuis pulmonum ſubſtantia reſiſtere haud poteſt, & hæc hæmoptyſis inter hæmorrhagias Experientia teſte non rara eſt: Quantam autem ſtructura partium neceſſitatem involvat ad morbos provocandos id Anatomicis demonſtrandum erit; haud vero nulla abſoluta neceſſitas indicari poteſt, cur ſanguis e naribus exſtillet, ſiquidem æqualis, ut ſanguis e ramificationibus ſubtilioribus cerebri emanaret, facile demonſtrari poteſt.

§. III.

Dantur multi homines, qui manifeſte plethorici exiſtunt, quibus tamen hæmorrhagiæ plane inconſuetæ ſunt, qui ſub hoc ſtatu in relatione erga alios, ſatis bene ſine multis incommodis valent, & præ aliis floridum ac ſanum faciei calorem habent & hi ſunt ex ſic dictorum ſanguineorum numero, qui præterea ſunt faciles multum ex ingeſtis ſanguinem generandi & præterea vaſa minora habent cum e contrario homines magis ſanguineo melancholici aut cholerici majoribus vaſis & firmioribus ac denſioribus fibris inſtructi ſint, quarum ope ſanguinis circulatio facilitari poſſet & quid deeſt ipſis vaſis nonne ſatis magnæ ac amplæ, & tamen hi ſunt qui maxime hæmorrhagiis, aut ſaltem congeſtoriis motibus vexantur, ſic quoque ſunt qui difficille harum obſtructiones perferre poſſunt, ſic etiam non deſunt plethorici inter ipſos laborioſos, qui nempe bonos ac copioſos cibos ingerunt, qui ab hæmorrhagiis tamen liberi ac ſani ſunt, hæc vero & cur ſe ita habeant explicabo ſequentibus.

§. IV.

Propius ad rem accedo ac cum rationibus indico quod omnes hæmorrhagiæ magis ſint *præternaturales* & cauſſam utplurimum violentam pro fundamento habeant, quid ſit τὸ naturale ſive ſtatus naturalis apparet ex hac deſcriptione, in quantum eſt motuum vitalium, ordinata, juſta, commoda & plane inſenſibilis adminiſtratio, ita ut ſemper proportio quædam inter ſolida & fluida, inter quantitatem & qualitatem obſervetur, quo corpus perfecte ſanum inde proveniat & in hoc ſtatu diu conſervari poſſit.

Nolo

Nolo hic τὸ naturale in hoc argumento ſolummodo derivare a voce natura, quæ multis oblocutionibus obnoxia eſt, varie enim & in vario ſenſu adhibetur, mox enim quando dicimus es iſt natůrlich, denotat ac ſi dicerem es folget daraus, vel etiam ſi dico er ſiehet natůrlich aus wie der ipſi ſimilis eſt, nec non es iſt ihm ein natůrlicher Fehler, id eſt vitium hæreditarium.

§. V.

In omnibus plethoricis aliquid ſanguinis adhuc auferri poteſt, & ſi recte negotium procedit ſine circulationis ſanguinis magno impedimento, eo magis quando ſe & excretiones neceſſariæ bene adminiſtrantur; poſito quod levior & moderatior hæmorrhagia nullius ſit momenti, ſicuti etiam eſt, (an per ſe juſtum ſit ulterius indagabo) omnibus eſt modus pauci tamen ſunt, qui per ejusmodi evacuationem ad magnam ſenectutem perveniunt, ſenſibilia ſubinde ſubjecta per breve tempus ſubleavare videtur, ut medici auxilium denuo implorent ac hic eſt terminus ac tempus a quo varii homines ægrotare incipiunt. Aut enim animi commotio, aut error in diæta & regimine facile hoc negotium hæmorrhagicum offendere poſſunt. Hæc evacuationis ſpecies homines præ brutis, & feminas præ maribus ad morbos facile ſubeundos diſponit. Nullus quidem dubito, quod facile quoque imminutio ſanguinis, quæ fit per diaphoreſin, inhiberi poſſit; ſum tamen etiam perſuaſus, quod hæc per corporis motum aut per blandum calorem rurſus invitari ac revocari poſſit, ut nullum detrimentum ulterius ſequatur: ſed reſponderi poſſit nonne Venæſectio loco hæmorrhagiæ eſſe poteſt? primo circumſtantias perpendere neceſſe erit, ſecundo Medicus

prudens ad hanc persuadere debet: multi ita hanc abhorrent, ut prius quam eam admittant lipothymiam immo convulsivos fere motus incidant. Porro quis docuit Chirurgum pondus tam accurate in sanguine mittendo, ac naturæ hoc familiare est; Si nimium evacuat, violentiam committit, motusque valde turbat, si autem parum evacuavit sanguinem, irritos motus provocat, & quantum talis Venæsectio noceat, satis ex quotidiana observatione constat. Et posito Chirurgum fecisse quod debuit, inde tamen hæmorrhagiæ nec facile revocantur, nec etiam symptomata semper ad vota tranquillantur.

§. VI.

Et quibus non incommodis atque molestiis subjecta hæmorrhagica præc. fæminæ sunt exposita? ut in iisdem singulæ actiones non semper libere perfici queant, sensibiliores inprimis personæ tempore mensium fugiunt magnos labores, ex ingestis sibi faciunt selectum, ne nimis calida vel frigidia ingerant. Hoc vero non quidem valet in laboriosis, rusticis, hæ sunt robustiores ac in his necessitas regulas diæteticas tollit. Sic quoque in his menses in minori etiam quantitate interdum fluunt. Locus hic excretorius per se quidem satis est securus ac commodus. Sic etiam menses optime conveniunt iis, quæ jam fœtum excluserunt, & plus quam antea sanguinis coacervare ac præparare solent. An vero hæc excretio plane sit insensibilis, observatio contrarium docet; hæmorrhagia non nisi alterius partis depletione fieri potest, unde pars illa quæ sanguine orbata, colorem floridum rubicundum amittit & pallescere incipit. Hoc satis testantur fæminæ, quæ tem-

pore

pore menſium in facie palleſcunt, genæ ipſarum aliquo modo collapſæ & nares ſunt acutæ, proinde etiam omnem hæmorrhagiam ruptura hujus vel illius vaſis antecedere debet; conjuncta eſſe debet relaxiatio in una partes in altera vero conſtrictio.

§. VII.

Omnes hæmorrhagiæ a medicis dividi ſolent, ut ante notatum, in duas ſpecies generaliores, nempe *naturales* & *præternaturales*, quaſi per naturales natura ſpecialiſſima directione ſe a ſuperfluo ſanguine liberare contenderet, cum mihi inprimis ſemo ſit de ſic dictis naturalibus hæmorrhagiis, earum ſpecies percurram & quidem magis communes & conſuetos. Ut ſunt narium, Hæmoptyſis, vomitus cruentus, menſium fluxus, Lochia & Hæmorrhoides, verum enim vero quomodo hæ excretiones magis cauſas externas pro fundamento habeant, meum erit quantum fieri poterit indicare ac probare. Quod ergo natura ſemper per occaſiones externas commoveatur, quadantenus inquiram.

§. VIII.

Quod ergo Narium hæmorrhagias attinet ex accurata obſervatione ſatis liquere poteſt, quod adeo tacite numquam contingant, quis enim neſciret, quales errores homines juniores committere ſoleant, ita ut partim nares multis & nimiis emunctionibus ſtimulent, quibus cerebrum & totum corpus non parum commoventur, hoc apparet externe quando exinde vaſcula valde inflantur; partim litteris dediti, tamquam maxime proclives in hæmorrhagias, conſueti ſunt ut capite valde inclinato oculis ſumme intenſis, dum ſtudiis inſerviunt, res ſuas agant par-

tim inter ludendum juniores nimium commovent ſanguinem, vel nares per abuſum pulveris ſternutatorii irritant ac ſtimulant; ex quibus violentiis ſanguis ad caput pellitur & ad perruptionem diſponitur; cum igitur vaſa jam ſemel fuerint impleta & nimis dilatata, hinc etiam impoſterum multus ſanguis ea intrat & de novo eadem extendit, ut juvenes tum ex levi cauſa crebrioribus hæmorrhagiis exponantur; notum quidem eſt quod hæc excretio diu valde moderata eſſe ſoleat & non facile excedat, quomodo autem periculum inducere poſſit, demonſtrabo. Cum ergo ex cauſis his allegatis ſanguis effluat, videbimus cur non etiam tam frequenter puellas juniores corripiat, quæ tamen æque ſanguinem accumulare ſolent. Conſueſcunt hæ a prima tenera juventute, tam ex educationis, quam ex ipſa temperamenti ratione ut multo ſint tranquilliores & ſedatiores in animo & motibus ſuis externis antea jam indicatis, addo ſi juvenes ſubito ſe in ſolis æſtu exæſtuare incipiunt, hæc enim exæſtuatio plethoricos homines valde alterat, ſic ergo ſanguis hic exæſtuatus, vaſa minus reſiſtentia allicit & ad rupturam diſponit, idem valet de ſpirituoſis, valde calidis potulentis, abuſus Coffée peculiarem habet efficaciam jam nominata excitare, quod ulterius hæmorrhoidum occaſione proſecuturus ero.

§. IX.

Sic in hæmoptyſi ſemper cauſas vehementiores antecedere agnoſco. Sunt enim multi plethorici, qui ob nimium ſanguinem ex levi occaſione, pectoris anguſtia & difficultate reſpirandi affliguntur, nec tamen, quando vehementiorem exceſſum in movendo, vel potu vel in animi pathematibus evitant, hæmoptyſin experiuntur, ſed vidi

ex

ex ſolertiori indagatione quod potius homines impatientes, rixatores, potatores, & qui de temperamento Cholerico multum participant, ſub hoc calamitatis jugum ſua culpa mittantur. Veriſſimum enim eſt quales motus animi pathemata in ſanguinem antea tranquillum inducere posſint, præterea ſi jam antea variæ ſenſationes lancinatoriæ ex pulmonibus anteceſſerint. Sic etiam ex ipſa hujus affectus infrequentia, quam eximie apud hæmoptyicos natura excitata ſit, ut tandem, ſi jam hoc modo ſanguinem excernere hæſitaverit jam diu, talem periculoſum errorem committere cogatur, hic etiam multum hæreditarium vitium contribuit, quod apud omnes hæmorrhagias ſciendum eſſe cenſeo.

§. X.

Quibus ſanguis antea & quidem largiter e naribus exſtillavit ad hoc malum maxime diſponuntur. Et quis non hanc hæmorrhagiam ſumme periculoſam abhorreat, quo autem ad iſtud præcavendum malum ſigna antecedentia ſciamus, hæc ſunt: antecedunt motus preſſorii modo plus modo minus, inprimis circa annum viceſimum, & viceſimum primum, conjuncti eſſe ſolent dolores lancinantes, quaſi incidentes & pungentes; ex omnibus ſignum periculoſiſſimum eſt ſicca tuſſiculatio, hæc minatur damnum iſtud haud facile ſanabile; leviorem patiuntur hæc ſubjecta titillationem, quam tandem Tuſſis ſicca cum ipſa hæmoptyſi excipit, vehementes ſane motus preſſorii, anxii & quaſi vomibundi non tam periculoſi ſunt ac hæc tuſſis; idem hoc in aliis hæmorrhagiis experientia teſtatur, quod ex motibus valde ſpaſticis & pellentibus preſſoriis ſanguis difficulter erumpat, econtrario magis occludatur,

tur, obſervamus hoc exempli gratia in multis Cephalalgiæ ſpecicbus, ne quidem dicam de veris doloribus, ſed tantummodo de ſenſu iſto obtuſo preſſorio, verſus oculos & nares, ſine ſubſequenti hæmorrhagia; quam primum vero hic ſenſus remittit & nares leviter modo alliciuntur, titillantur vel emunguntur non raro poſtea ſanguinem emittunt. Quales motus fæminæ, menſium obſtructione laborantes experiuntur: ex quibus tamen pauci Hæmoptyſin vel vomitum cruentum patiuntur, ſed potius vehementiorem obſtipationem impetrant. Peculiarem quoque anxietatem in hæmoptyicis adnoto, conjuncto vehementi ſanguinis calore. Et quando hi motus ſubjectis hæmorrhagicis perſpecti eſſent, quam facile hoc periculum evitare poſſent.

§. XI.

Corripiuntur hoc malo juniores inmoderati, inquieti ſanguineo cholerici improvidi: unde ad ſolum vitæ genus vel ſedentarium, vel otioſum, provocare velle, non ſufficit, alias frequentior eſſet hic affectus in puellis, ſic quoque animi incandeſcentia, ſi coniunctim potus ſpirituoſi ingeruntur validiſſime ſanguinem movere poſſunt, ſic etiam vociferatio nimia, inprimis nocturna, nec non hi qui improvide ſemel & ſimul narium hæmorrhagiam inhibere conantur, fieri poſſunt hæmoptyici, nec non qui ex inſuetudine inebriationis vehementer vomere coguntur, maxime qui ſubitaneam mutationem committunt; haud tamen immorabor in commemorandis reliquis circumſtantiis propoſui enim mihi, ut in reliquis ſic etiam in hæmoptyſi non meram plethoram, ſed plures cauſſas conjunctas præeuntes violentiores adeſſe demonſtrem, quod

etiam

etiam in feminis conſiderandum quibus menſes ſunt ſuppreſſæ.

§. XII.

Cum hæmoptyſis proveniat ex parte e pulmonibus tamquam tenera & nobili parte, ad circulum ſanguinis ſumme neceſſaria, facile apparet quod nulla utilitate gaudere videatur hæc hæmorrhagia, ſed potius communiter damnum relinquere, quando plane ex arterioſis ductibus erumpit, tunc non modo prodige procedit, ſed & facile revertitur & ægrotis majorem calamitatem quoties recurrit conciliat, ægrotos ad phthiſin ſubitam diſponit, & ita in quantitate peccare ſolet, ut quædam ſanguinis portio in majorem abeat ſtagnationem; Inde hæmoptyſis tam periculoſa & pernicioſa; hanc itaque mittam & ad Vomitum cruentum progredior.

§. XIII.

In quo affectu etiam cauſſæ vehementiores annotandæ ſunt: eſt affectus feminis communior, quando in illis vel per cauſſas vehementes internas vel externas, ut ſunt terror, moeror, ſubitanea refrigeratio, ſanguis menſtruus ad interiora repellitur, qualescunque cauſſæ ſunt, veniunt ab externa occaſione, animus ſæpe commovetur a cauſſis externis antecedentibus; ſi ergo ſanguis repellitur, perrumpuntur vaſa brevia & effunditur in ventriculum; comites hujus hæmorrhagiæ ſunt anguſtia præcordiorum, motus vomibundi, invadit hic affectus ſæpius juniores feminas. Specialiſſimum hujus affectus ſignum eſt, quando ſanguis eſt ſpiſſior, quaſi coagulatus non florido colore, ut in hæmoptyſi, præditus nam hic ſanguis pro-

venit ex venis, se quoque in eo distinguit a hæmoptysi, ut motus hæmoptyici aliquo modo sint placidiores, vomitus cruentus potius vehementi motu contingat, cui succurendum in tempore, ne statum tempus observet & loco mensium reiteret.

§. XIV.

Mictus cruenti tamquam morbi infrequentioris insuperque ex caussis violentis provenientis hic mentionem non faciam, sed eum potius ad Lithontripticos ablegabo, quo dignissimum facti mercedem accipiant, si autem ipse provenerit ex negotii hæmorrhoidalis consensu ad articulum de hæmorrhoidibus referre placet.

§. XV.

Operæ pretium erit, ut adhuc etiam feminarum morbum consuetum considerem, quo videre possimus an hic fluxus ex peculiari lege & privilegio quodam sexui sequiori sit mandatus, jam diu inter medicos de hac re multæ controversiæ commotæ sunt, cum enim hi caussam ex fermento quodam deprehendere non potuerint, alii veram tandem rationem se nactos esse sibi persuasi sunt, cum plurimi putaverint ac si feminis juste major sanguinis quantitas data sit a Deo, quo tempore graviditatis etiam illius aliquam habeant copiam, unde fœtum alere & conservare possint, hanc ergo sententiam tam stricte sequuntur, ut feminas nondum menstruatas ad concipiendum & generandum ineptas esse declarent & putent, caussæ quæ hanc illorum opinionem stabiliunt sane non sunt leves, argumentum maxime considerationis ex eo desumunt, quoniam

niam plurimæ feminæ menſes patiuntur, immo quoque valde laborioſæ, nec non illæ quæ per morbum diuturniorem emaciatæ ſunt, etſi in pauciori quantitate, porro quod feminæ ex legitimo menſium fluxu bene ſe habeant, cum ergo horum rationes ſint adductæ, audiatur & altera pars.

§. XVI.

Magnum ſuppoſitum eſt, quod hic fluxus in feminis adeſſe debeat, ſic quoque non deſunt, qui affirmare contendunt, quod hic fluxus etiam feminis, etiamſi homines non lapſi eſſent, fuerit proprius & communis. Placet ipſis ſacris litteris hunc fluxum appellare, purgationem, vel morbum, ac ſi humores impuri, expellerentur. Primis parentibus non neceſſe erat purgatio quædam, nam erant perfecti, & puri, tam quoad mentem ſive animam, quam quoad corpus. Quoniam fermentationis amici maxima parte expirarunt, ipſis ſufficere poſſunt argumenta contra illorum opinionem a medicis doctis jam adducta operæ pretuim erit, quomodo iis qui meliorem & probabiliorem rationem proferunt & allegant, occurram, & me cum ipſis conciliare poſſim, his inprimis regero, quod multa animalia a menſibus ſint libera, & tamen eo non obſtante concipiant & fœtus in utero gerant, indeque edant. Scio quidem quod non ſemper talis concluſio ab animalibus brutis ad hominem deſumpta valida & firma eſſe posſit, neſcio autem cur hic errarem, quidque mihi obſtaret, cum motus vitales in multis brutis eodem quaſi ordine & ſucceſſu fiant, etiam iisdem viſceribus ſint inſtructa. Dantur quidem quædam bruta e. g. ſimiæ de quibus Hiſtori-

rici referunt, quod menſes habeant, ſed hæ relationes meam ſententiam non deſtruunt, loquor enim de plurimis, ſic etiam dubito, an verus in illis ſit fluxus menſtruus, ut in feminis, hic fluxus uterinus nomine potius eſt indignus. Cum ergo animalia a menſibus ſint inmunia, merito concludo ad homines cum in brutis ferme ſimilis concipiendi & alendi fœtum ſit ratio ac in homine & quod non abſolutam rationem ſola feminarum plethora ſuppeditare poſſit, multa ex brutis etiam plethora laborant, ſic eadem ratio eſt, cur fuerint & dentur adhuc feminæ, quæ ſine illo fluxu ſanæ ſunt, immo quæ ſic bene conceperunt & ſanos perpererunt fœtus, recordor quidem hac occaſione conſueti proverbii: Eine Schwalbe macht keinen Sommer, verum enim vero hæc etſi rariora multum pro mea ſententia contribuere, & neceſſitatem menſium infirmare mihi videntur.

§. XVII.

Sic quoque non vera eſt argumentatio ex ſic dictis laborioſis femellis exemplum petere, quod hæ etiam menſes experiantur, etſi admodum ſtrenue laboribus inſerviant, primo enim animadvertendum eſt quod menſes ipſis fluant in mitiori quantitate, porro etiam quæſtio inſtituenda eſt, an ſatis laborent, ſi hoc enim fieret, impoſſibile videri poſſet menſes fluere, & ſi tam fluerent morbum cauſſarent, ſiquidem graves orirentur laſſitudines artium: valde mihi arridet Domini Præſidis admonitio, occaſione Præſidii publici data, quod nempe ſtrenuus labor etiam ad ſanguinis augmentum occaſionem

ſup-

ſuppeditet, laborioſi enim laboribus peractis bono appetitu multa utplurimum in genere ſolent, & re vera eſt ſic, plurimi, laborioſi ſunt voraces, ut non mirandum cur inter laborioſos dentur plethorici, cum vero perpetuo laboribus ſint adſueti, ipſis ſanguinis quantitas non eſt moleſta ſed potius robur ipſis præbet, conſervat labor in illis humorum diſtributionem ſemper æqualem, quamdiu enim æqualiter ſanguis fluit, tamdiu tamquam nimius non nocet; quid ergo fieret ſi feminæ cum moderamine & ordine quodam cibos ingererent, tum certo certius plethora ceſſaret, fortaſſe menſes aut multo parciores eſſent, ſi non plane deficerent, ſed quod tum ſi hoc conſilium non in unius vel duorum annorum ſpatio ponam, non ſufficeret, nonne de menſium neceſſitate convincere; ſed iterum iterumque ut in reliquis hæmorrhagiis provoco ad aliam cauſſam, quæ eſt vitium hæreditarium, quod hoc plurimum efficiat cenſeo, quodque hoc ita ſit ſequentibus demonſtrabo & quis ſciat an non DEUS velit poſt lapſum, quod hoc incommodum eſſe debeat loco pœnæ feminis, ſed hæc tantum opinio eſt.

§. XVIII.

Allegatur quoque cauſſa ex feminis ægrotis, quæ diu morbum perpeſſæ ſunt & viribus exhauſtæ videntur, & tamen eo non obſtante menſes habent; magnam quidem probationis ſpeciem hoc argumentum præ ſe fert, cur itaque non magis viribus exhauriuntur, quando menſibus ſub morbo per ſe ſatis delaſſante laborant, quomodo ergo tum ſanguinem emittere poſſunt ſine detri-

mento & augmento morbi, ſed in his talis ſanguis etiam fuit abundans & moleſtus, quid multa nonne alia eſt plethora in ægrotis ac in ſanis, ea quæ in ſanis plethora audit, eſt vera, diſtinguitur nonne a medicis plethora quoad vaſa & quoad vires? in ægrotis paucus ſanguis eſt moleſtus indeque nimius, ipſis deficit tonus quamquam vaſa in illis plus ſanguinis retinere poſſint, ergo convenit, ipſis ſanguinem per menſes ſub morbo etiam inminuere.

§. XIX.

Nec matres intermittunt, ſi menſes fluere recuſarent, tam diu fortioribus purgantibus & ſtimulantibus filias ſuas irritare & commovere usque dum ſanguis per uteri vaginam exire cogitur. Quis etiam ſcire poteſt, an ipſa mater rite menſtruata fuerit, an non impetu quodam menſium fluxus productus fuerit, & ſic ex vitio hæreditario per plures femellas transplantatus & continuatus, ut tandem feminæ ex diuturna propagatione hunc ſibi proprium eſſe putent.

§. XX.

Non incongruum erit nunc etiam menſium fluxum ordinarium moderatum comparare cum ſtatu naturali ſupra deſcriptum, cum aliqualis jam comparatio facta ſit, huic illud tantummodo addam, quod feminæ ante & ſub menſes anguſtias quasdam, reſpirationem aliquo modo difficilem inprimis quando ſe movere, ſcalas aſcendere & molem ſuſtinere contendunt, ſentiant, nec appetitus tam validus ſit, maxime autem in plethoricis im-

minu-

minutus tum temporis obſervetur: quis ergo non videat quod hac ratione hic fluxus præternaturale quid involvat & deſignet, ea enim quæ natura libenter ſuſcipit, ut excretiones ſunt ſeri &c., facit ſine ſenſu moleſto, ut non impediatur in actionibus voluntariis, appetitus eſt firmus, mens hilara, & obiectis præſentibus occupata.

§. XXI.

Quis hoc neget, quod menſes feminis, quippe magis otioſis, ſedentariis, tamquam medicina ſint, ſummum illarum ſunt ſolamen, cum autem animum, regimen, & diætam, ita non in poteſtate ſua habeant, quomodo ſibi polliceri poſſunt, ut ſemper hoc beneficio fruantur, & ſi hoc deſtituuntur, deterior ſtatus illorum eſt, ac ſi non menſes paſſæ fuerint, quis omnes afflictiones patienter ab hyſtericis audire poteſt, ipſis nulla pars eſt quæ non doleat; odontalgia, Cephalalgia, &c. ſunt ex paſſionibus ſane mitiſſimæ, has longe ſuperat earum Cardialgia, rigor, ſtrictura in artubus, ut niſi ſumma moleſtia & incommodo, eas moveri poſſint. Animus illarum eſt triſtis, abiectus, timidus, pathemata ſequuntur animi & corporis temperamentum, quid dicam de terribilibus inſomniis, quibus vexantur, aliis fit corpus flaccidum laxum, cachecticum, aliis autem rigidum & ſtrictum, vidi autem quod utplurimum poſt remedia incongrua pellentia, corpus flaccidum fieri ſoleat, ut tumor œdematoſus ſe exſerat in initio, & hunc tandem plenaria cachexia ſequatur.

§. XXII.

Novi autem multa exempla quoque ubi feminæ men-

menſium defectu laborantes, per diuturnum tempus in relatione erga alias ſatis bene ſe habuerunt, hoc autem temperamento tranquillo adſcribendum eſſe puto.

§. XXIII.

Annus quinquageſimus ubi Conceptio deſinit, ubi menſes ſubſiſtunt, innumerabilia mala ipſis relinquit, cum tamen menſes ob conceptionem non magis neceſſe habeant, quod adeo natura ſævire incipiat.

§. XXIV.

Homines & bruta Lochia habere debent, quæ abſolute partum ſequuntur, cum enim tam magna pars, ut ſecundina ſunt ab vtero vi ſeparetur & avellatur neceſſario hanc eximiam læſionem hæmorrhagia excipit; ut adſtantes parturientibus auxilio eſſe debeant, juſculis nutrientibus reficientibus & confortantibus; hanc hæmorrhagiam antecedit magna mentis anguſtia. Cum hæc itaque hæmorrhagia evitari nequeat, hanc merito propterea mittimus & ad Hæmorrhoides nos convertimus.

§. XXV.

In harum conſideratione mihi res eſt non cum laborioſis, ſed cum otioſis, ſedentariis, litteratis, impetuoſis & immoderatis hominibus, hæmorrhoidum ſubjecta itaque ſunt, inprimis cholerici, quando ſimul diæta larga, calida, ſpirituoſa utuntur, nec iræ moderantur, ſi præterea in veneris caſtris militant, ut ſanguis fervide verſus loca inferiora pellatur, ut tandem natura ſanguinem vaſa inferiora nimis diſtendentem exprimere per

motus

motus dolorificos congeſtorio ſpaſticos, invitetur, inprimis hunc affectum deſignat ſenſus quaſi urens, ac ſi carbo candens in inteſtino recto hæreret, ut hæmorrhoidarii cogantur ſæpius alvum deponere, etſi ſine effectu; quo facto tandem ſanguis ſatis bonus & floridus excernitur, & dolores remittunt, hinc interdum rite fluentibus hæmorrhoidibus præcipua pathemata hypochondriaca complacantur & mitigantur, ſed vah! quod pauciſſimis diu ſit medicina experientia confirmat, ſi modo hæmorrhoides excedunt, modo paucæ ſunt, modo retinentur, omnes paſſiones redeunt inſolentiores, & auctiores, morbus calculoſus ſe præcipue inmiſcet, qui novam ſcenam calamitoſam miſeramque movet: quod hæmorhoides obſtruantur, efficit nimia refrigeratio, terror, &c. quis inter homines ab his hoſtibus inmunis.

§. XXVI.

Hæmorrhoides excedunt, quando nimium cibi ingeruntur &c. nec non multa piperata, & aromatiſata, potus calefaciens, vina generoſa, tartarea craſſa, præcipue largiter hauſta; cereviſia haud probe defæcata. Huc etiam pertinent uſus medicamentorum acrium calidorum; purgantia acriora, acidulæ ſaturatæ ſpiritus vini, immodicus fumus tabaci, &c. alvus durior, diarrhœa acrior, vigiliæ nimiæ, ſaltatio, curſitatio, equitatio exceſſiva &c. unde ſanguis propter citam circulationem non modo impetuoſior, ſed etiam calidior ad partes fertur hæc omnia hæmorrhoides faciunt & augent. Miror ſane cur Franck de Franckenau hæmor-

 rhoides

rhoides ex caussa hæreditaria rariores esse dicat in suis satyris medicis, cum tamen crebior experientia huic auctori plane contradicat, quod vero asserat Hæmorrhoides endemias rariores & rarissimas esse ipsi libentissime concedo, in genere notandum quod semper plures caussæ conspirare soleant; pro omni erudissimus Dn. Præsidis de Hæmorrhoidibus tractatus esse poterit.

§. XXVII.

Cum ergo præcipuas hæmorrhagias transierim, simulque demonstraverim, quod caussa illarum sit præternaturalis, & ad hominis naturam non spectet, explicationis loco sit quod præcipue locutus sim de primo hæmorrhagiarum ortu, sic etiam necesse erit, unam ex altera derivare & cum illa complicare quo effectus caussæ similis videatur.

§. XXVIII.

Addo necessarium momentum practicum, si assero quod hæmorrhagiæ certo respectu homines in consequenti tempore plethoricos reddere disponat, siquidem denuo operosa est natura in edendo & bibendo, si etiam moderata ingestio esset in duplo tamen ex cibis nutrimenta colliguntur, intime digeruntur & concoquuntur, ut relictis omnibus partibus nutrititiis ad intestina crassa abeant eo auctior est sanguificatio, si multum ciborum assumitur, hoc idem valet, quod dixi circa sanguinis coacervationem in laboriosis. Summa & complementum rerum est, non quid sed quantum ingeratur & quomodo cibi

consu-

consumantur, nimis enim scrupulosum foret anxie & oporose modo hoc modo aliud ciborum genus fugere, ne sanguis, vel salsus sulphureus generetur. Sed qualis cibus, talis sanguis: quid hæc ad nos, caveamus nimium, fugiamus otium sic habebimus sanguinem optimum, tranquillum, infringimus sic hæmorrhagias nimias, sic eas præcavemus, ut natura libenter sanguinem retineat, sic semper naturalis & regularis impetratur naturæ

F I N I S.

MUlti sunt morbi, queis mens humana laborat,
Non minus at multi corpora nostra premunt.
Quis numerare potens illorum nomina cuncta?
Nonne suas pestes singula membra timent?
Vix homini tenues tot guttæ sanguinis insunt,
Ut non his pateat pluribus ipse malis.
Res est difficilis, tot caussas nosse malorum,
Quoque modo quævis sit reprimenda lues;
Res est difficilis, tot nomina noscere rerum
Et vires, & quas flos gerat, herba, radire.
Res est difficilis, miscere hæc omnia docte,
Aptaque pro morbis pocula cauta dare.
Talia non quivis doceat, nec discere tentet,
Sit prudens Doctor discipulusque sagax.

Tales, *mi fili*, tibi præbuit HALA MAGI-
STROS
Ut reliquis, *medica* ſic etiam arte valens.
Hic PATER HOFFMANNUS, Medicorum
gloria princeps,
ALBERTIque, cui verba perita fluunt,
Nobilis & methodo facili JUNCKERUS & uſu,
Et varia præſtans SCHULTZIUS arte
meus,
Denique præclarus CASSBOMIUS arte ſe-
candi
Te *medicas artes* producere probe.
Utque probent aliis, te profeciſſe perite,
Nunc dare doctrinæ præmia digna volunt.
At prius exponit tua diſſertatio, facta
Per tete, ſanguis qua ratione fluat,
Quando ſit exortus, quem vir, quem femina
ſentit,
Sanguinis hic fluxus, quam bonus atque malus,
In Cathedra poſtquam quæ ponis, dicta probaris,
Doctoris mitra tempora cincta geres.
Gratulor ex animo tibi tantos, *Doctor*, honores
Sisque redux *Mindæ* fauſtus ubique, precor!
Hic PATER HOFFMANNUS, Medicorum
gloria princeps,
Artis *prima* dedit ſigna probata ſuæ;

Hic

Hic *primas* vitæ carpsit WESLINGIUS auras,
In Medicis cujus fama perennis erit.
HOS similesque refer virtute, scientia & usu,
Cetera curabit provida cura DEI.

Filio natu maximo ex pietate paterna
p.
JOH. LUDOLPH. BUNEMANN,
Reg. Bibl. & Gymn. Mind. Rector.

Ein Mensch der das ergreifft, wozu er Neigung spühret
In denen Studiis, der fängt das Werck recht an;
Wer aber das verwirfft, wozu sein Sinn ihn führet,
Der bringet nichts heraus, und wird kein braver Mann.
Dahero siehet man sehr viele die nicht bleiben
Bey ihrer Facultät, weil sie denn erst bedacht,
Wie schwer es sey ein Ding mit rechter Lust zu treiben,
Wozu man von Natur nicht wird geschickt gemacht.
Du aber, **Bruder**, hast von Jugend auf geliebet
Die edle Wissenschafft der schönen Medicin,
Ja, du gedachtest auch, nichts ist das Freude giebet
Als diese Wissenschafft, die war nach deinem Sinn.
Geschickte Medicos kan gar der Tod nicht leiden,
Denn was er gerne frist, das lassen sie ihn nicht;

Doch solche Hümpelers, die jedermann muß meiden,
Sind seine Compagnons, die hat er abgericht.
Du aber, Bruder, bist als recht bewerth befunden
In dem Examine, worinn du bist probiert,
Drum komm nun bald nach Haus, und denn hilf deinen Kunden,
Und raube sie dem Tod, durch das, was sie curirt.
Die Theorie läst dich der Kranckheit Ursprung wissen,
Die Praxis zeiget dir, was man gebrauchen muß,
Wenn GOTT den Seegen giebt, so kan ich sicher schliessen,
Daß du wirst glücklich seyn und haben den Genuß.
Ich hätte zwar noch mehr, das ich dir könte schreiben:
Allein es sey genug, nimm diesen Wunsch noch an:
GOTT wolle allezeit dir an der Seite bleiben!
Diß wünscht, mein Bruder, dir

Carl Christoph Bünemann.